

situm, tria potissimum capita *De azymo, De sabbato* A et *Nuptiis sacerdotum* complectentem. Quem Augustus orthodoxus, cum præter convitia et errores nihil solidi aut sani contineret, legatis suadentibus, flammis exuri jussit. Rebus ita compositis, cum Humbertus cum collegis janijam abitum Romam versus pararet, Michael patriarcha, vir impius, fraudulentus et callidus, libelli exustione commotus imperatorem adiit, acturus de legatis retinendis, eo sine ut in Sanctæ Sophiæ templum sub aliquo comitorum congregandorum prætextu introducti a populo saxis impeterentur et risui exponerentur contra jus gentium, imo naturale et divinum. At prudentissimus Imperator perversam Michaelis mentem subodoratus scandalumque exinde oriturum prævidens, impiæ B petitioni nullatenus assentiri voluit. Qui potius regiis donatos muneribus, prosperaque præcatus, ut in viam se, Deo duce, darent, hortatus est.

Interim Michael artes suas elusas ægerrime ferens ad novas struendas insidias conversus, litteras dedit ad Petrum patriarcham Antiochenum, effreni calamo in Humbertum et socios detonans atque, ut eos veluti Græcæ religionis contemptores et hostes interciperet muneribusque spoliaret, mandans. At Petrus legatorum innocentiam perspectam habens, neglectis Michaelis injuriis mandatis, eos qua decuit humanitate exceptit, novisque auctos muneribus cum honore dimisit.

Anno 1055 Romam allapsi, loco Leonis demortui Victorem II, ad elayum Ecclesiæ sedentem inven- C nerunt, a quo, paucis interjectis mensibus, Humbertus ad Cassinense monasterium ablegatus est ob acres monachorum dissensiones in causa intrusi Petri abbatis exortas. Quas tamen Humbertus, sponte prælatura cedente Petro, atque in ejus locum monachorum suffragiis, suffecto Friderico Lothareno cardinale, facile composuit.

Vita functo Victore II, tribus electionibus, Stephani scilicet X, Nicolai II, et Alexandri II, pontificum suo suffragio interfuit, sub quorum regimine

nonnullis annis amplissimum munus bibliothecarii et cancellarii incredibili laude et dexteritate exercens. Anno salutis 1059, jussu Nicolai II et synodi Lateranensis, præscripsit formulam fidei pronuntiandam in concilio a Berengario hæretico resipiscentiam tum fingente coram ducentis triginta episcopis et prælatis. At cum Berengarius finita synodo ad instar canis impuri ad vomitum redlisset, voce ac stylo-plaustra convitiarum tum in Humbertum, tum in Ecclesiam Romanam exoveravit, quemadmodum jam allegatus Lanfrancus strenuus Ecclesiæ et Humberti defensor attestatur.

Assumpto ad pontificatum sub nomine Stephani X Friderico Lothareno, vel (ut Baronio et aliis placet) sedente in Petri cathedra Alexandro hujus nominis II, Humbertus legatus in Angliam destinatur, ubi convocato concilio in præsentia totius cleri Anglicani sexto Idus Aprilis anno 1072 gravissimam litem inter Ecclesias Cantuariensium et Eboracensem super primatu exortam tanta dexteritate composuit, ut Thomas Eboracensis Ecclesiæ antistes ejus persuasionibus et rationibus convictus primatum Cantuariensi adjudicatum, publica hac emissa professione, ratum habuerit: « Decet omnino Christianum quemque Christianis legibus subjacere; propterea ego Thomas Eboracensis Ecclesiæ metropolitanus antistes jam ordinatus, auditis cognitisque rationibus, absolutam tibi, Lanfrance, Cantuariensis archiepiscopo, tuisque successoribus de canonica obedientia professionem factam; et quidquid a te, vel ab eis juste ac canonice injunctum mihi fuerit, servaturum me promitto. »

Romam composita Anglorum præsulum lite reversus, dierum ac meritorum plenus, perceptis Ecclesiæ sacramentis ad superos translatus est tertio Nonas Maii, anno a partu Virginis 1064. Sepultus in basilica Constantiniana, summo pontifice ita mandante, prope corpora SS. virginum et martyrum Maternæ et Secundinæ.

## NOTITIA ALTERA

(FABRIC. *Biblioth. med. et inf. Lat.*, IV, 306.)

Humbertus, ex monacho ord. Bened. in Mediano D t. XI Coon., et tom. XVIII Lugd., pag. 389, 405, S. Mansueti cœnobio Tullensis diœcesis, factus cardinalis ab an. 1049 et episcopus *Silvæ Candidæ*, an. 1051 Leonis IX ad imperatorem CPol. Constantinum Monomachum legatus; deinde a Victore II an. 1057 missus ad componendas lites in monasterio Casinensi, de quo Leo Ostiensis lib. II Chronici Casinensis, c. 88. Præter ejus scripta non inerudita *adversus Græcos Mich. Cerularium, Leonem Achridenum et Nicetam Pectoratum*, vulgata a Baronio ad annum 1054, et in appendice ad tomum XI Annalium, et a Causio t. VI Lectionum antiquar. (t. III editionis novæ Basnagianæ p. 277) et in Bibliothecis Patrum

et tom. XVIII Lugd., pag. 389, 405, 415. Novissime ejus *libros tres adversus Simoniacos* ex bibliotheca Laurentiana publici juris fecit Edmundus Martene, tom. V Anecdotorum, pag. 633-844. In libro tertio octo capitula postrema desiderantur. *Spinosulus*, quem p. 647 perstringit, non videtur esse nomen hominis proprium, sed positum convicii loco in spinosiora adversarii acumina. Item Humbertus præscripsit traditur Berengario ejurationem in concilio Rom. an. 1059, quæ incipit: *Eg. Berengarius*, atque etiam inserta est Decreto Gregor. tiani, dist. 2, De consecratione, c. 42.